

## Dē castellīs (capitulum tertium)

Tum custōdiae ā portā: „Inimīcī,“ clāmant, „inimīcī appropinquant!“ Dominus verbīs custōdiārum admīrātus īram nōn latēbat et exclāmāvit: „Ad arma!“ Modo virī undique ad arma vocantur, ex armāmentāriīs populō arma dantur et armigerī ad loca sua properant. Dominus quoque cum Venceslaō ad portam festīnābant, sed oculī dominī saevitiā magnā ardēbant – formā suā Achillem ad Trōiam in memoriam revocābat. Venceslaus duplicābat iterābatque verba: „Nōn dēterrēbantur? Sed mox dēterrēbuntur! Nōn, plūs, ad ūnum necābuntur et dēlēbuntur!“

Ad portam custōdiae dominum, Venceslaum et armigerōs pācant et permulcent: „Nōn dēbēmus timēre. Nōn bellum est. Inimīcī sunt, sed sine armīs. Nuntiī inimīcōrum ad oppidum appropinquant.“ Dominus animum suum mītigāvit, paulum arrīsit et verbīs placidīs ait: „Hodiē nōn certābimus in campō. Laxāte claustra! Nuntiōs inimīcōrum in aulā expectābō.“ Posteā ad Venceslaum: „Amīce,“ inquit, „in aulam cum dominō suō ad solium ambulābis, nam auxiliō cōnsiliōque tuō indigēbit.“

Modo nuntiī in aulam intrant et ecce! In mūrō aulae scūtōrum gentīliciōrum figūrae pendēbant – inimīcōrum aditū aula tonuit plāgā validā et scūtum rēgnī inimīcōrum prae oculōs virōrum in pavīmentō in particulās frāctum iacet. Nuntiī scūtum patriae suae frāctum vīdērunt et valdē doluerunt. Obstupēfactī aulicī cum familiā tōtā statim vocābant: „Mīrāculum et prōdigium dīvīnum est!“ Scrība mīrāculum litterīs mandāvit et complēvit librōs chronicōs adnotāmentō dē prōsperō ēventō conciliī dominī cum nuntiīs inimīcōrum. Rēgnum expectābant pāciferī et beātī annī.

---

Fābula nostra, finīta ut fābula puerōrum, docēbat nōs dē vītā virōrum mediī aevī et dē castellīs. Nunc vōs interrogō: Quae dicta in nārrātiunculā ficta, quae dicta vēra sunt?

Pozn: *custōdia, ae, f.* – stráž, hlídka; *custōdiae, ārum, f.* – stráže; *Achillem in memoriam revocābat* – připomínal Achilla (viz čl. Dē piscīnā); *duplicāre iterāreque* (hendiadys) – znovu a znovu opakovat; *pācō, āre, āvī, ātum* – uklidnit, utišit; *pācant et permulcent* = hendiadys; *arrīdeō, ēre, rīsī, rīsum* – usmívat se; *claustrum, ī, n.* – závora; *claustra laxāre* – (uvolnit závory =) otevřít bránu; *indigeō, ēre, uī (s gen. nebo abl.)* – mít nedostatek, ZDE: potřebovat (srovnej s „egeō“); *auxiliō indigēre* – potřebovat pomoc; *aditū* – při příchodu; *scūtī gentīliciī figūra (f.)* – erb (doslova: vypodobení rodového štítu); *tonō, āre, tonuī* – hřmím; *frāctus, a, um* – rozbitý; *obstupēfactus, a, um* – užaslý, omámený; *librī chronicī (ōrum, m.)* – kronika; *compleō, ēre, ēvī, ētum (+ abl.)* – naplňuji, ZDE: doplňuji (čím); *adnotāmentum, ī, n.* – poznámka; *pācifer, a, um* – přinášející mír, plný míru; *finītus, a, um* – zakončený; *quae dicta?* – které údaje, skutečnosti?; *fictus, a, um* – vymyšlený;